

...tion.
...
...

4

01

A

55



M. K. 22⁷
(Luth. 43 F. 10.)

Ultimum Pietatis scholastica Mnemosynon
relinquent Scholæ Cathedrali,

Quà Stemma, quà meliores literas
artesque egregiè ornati duo Adolescentes,

ADAMUS HENRICUS à Friesen/

&

PHILIPPUS Rohr/

Quorum Conatus candidos ut Præsentia sua
condecorent suscitantque

Maximè Reverendi Proceres,

Fautores atque Amici,

Eâ, quâ decet mente vultuque,
rogat singulos,

M. FRIDERICUS Berger/

Scholæ Cathedr. Numburg.

RECTOR.

JENÆ,

Literis Bauhoferianis.





Quod felix faustumq; sit!

Arboris generosioris statim planta cum fructu est. Vox hæc altiùs pensitata, primam ultimamque Paradisi felicitatem & prorsus inexplicabilem hominis decorem apprimè complectens; ex parte verò iis haut indigna, qui quasi *λειψανα χρυσῶν γένος*, censente Comico, non ætate, sed ingenio acquirunt sapientiam, qui annos prævertunt, & spem uberiorem justo maturius convertunt in fidem. Est nimirum quoddam cœlum pusillum homo, cui collucet intus tanquam stellulæ ex virtutum contemplationibus, artiumq; disciplinis acquisitæ naturarum plurimarum imagines, quæ augustiorem quasi orbem natæ, stupendum splendoris atque influxus sui dant experimentum, statimque in ortu suo indicia afferunt illustria. Hinc illæ voces Augustæ: *Magnum quod erit, mature erit.* Et: *Ingenia Heroica plerumq; extra dilationem sunt posita.* Sanè impetus cujusque arguit vires, quæ ut ut sint magnæ & ingentes, nisi tamen summo ardore & alacritate ad opus prorumpant, nescio qui tepidum arguant animum? Quemadmodum enim aquileges, cum manè halitum quendam erumpentem e terra vident, indicium id habent latentium aquarum: sic de foecunda scaturigine Virtutum spes est,

est, ubi in adolescente præit & elucet cupiditas discen-
d. Non jejune à Vopisco in Probo observatum legi-
mus, neminem aliquando ad summam rerum perve-
nisse, qui non à prima ætate gradibus virtutis ascen-
derit: qui non puer seminario Virtutum generosiore
concretus, aliquid inclytum designarit. Laurum Apol-
lini vaticinii Deo sacram, futurorum habere præsen-
sionem quandam, vulgo est creditum: Siquidem nil cre-
pitantius uritur, sicut à Lucretio proditum quoq; no-
vimus: Sed eo prior etiamnum Theocritus canit: Nam
& hinc Daphne Græcis appellatur à δα, particula inten-
siva, & φωνεῖν, vocare, sonare. Igitur eventus rerum ex
crepantis modo veteres aucupabantur: quod nec Por-
phyrium latuit: Nam si crepuisset abundè ac sonan-
tius, haut dubiè portendi felicitatem rebantur: quod
significat Tibullus:

Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni!

E diverso, si tacita deflagrasset, inauspicatissimum ar-
bitrabantur: Id approbat Propertius: *Et tacet extincto
laurus adusta foco.* Lauro non absimiles Tirones sub
Apollinis umbraculis latitantes. Quodsi in tenero æta-
tis flore animum incensi dictis, solidum quid crepent,
signum indubitabile est, fore, ut feliciter studiorum
minas, parentum vota, & desiderium patriæ impleant,
ævumque illustrent. Secus verò se res habet, cum in-
genia τρωπῶντα torpore & cessatione premuntur, & vel-
lurum Plautinum silendo exhibent. Profectò longè
alienissimus fuit ab hoc supino mentis languore *Ter*

MA-

maximus aeterni Patris Filius, quamprimum θεολάμωσ-
σαι σάρκα αὐτῆ hominibus manifestavit. Quam enim
absolutissimam diviniore indolis ac ætatu suæ præ-
rogativam in Idea omnibus, qui sub disciplinæ ambi-
tu continentur, reliquerit intuendam, neminem, nisi
in salvificis paginis planè hospitem, fugere potest.
Nondum ille, qui Romulæ gentis mos erat, sumptâ
prætextâ, specimen sublimis ingenii edidit Hierosoly-
mis, Doctorum in medio ferram contentionis sacræ re-
ciprocans expeditissimè, legesque boni Gymnastæ pro-
bè adimplens. Quo ipso, faculam hisce adlucente ce-
leberrimo Ulmensi Theologo, ὡς δειγματίζειν voluit pu-
bem bonis literis consecratam, ne in scholis sedeant,
veluti κωφαὶ πρῆσσωτα, statuæ Mercuriales, vel trunci, in
quibus sensus nullus est: sed attentè auscultent, ea, quæ
proponuntur, observent, notent, ruminent, memoriæ
mandent. Ante omnia verò exemplo hujus θεόπαιδ^{ος}
maturè exercitiis sacris asvescant, & moribus castis ex-
ornent florem ætatis primum. Facit huc illud, quod
Venerabilis Beda ad pietatem attulit: *Intraivit tem-
plum, ait, ad audiendum Magistros & Doctores, qui
fuit omnium Magister & Dominus, ut discant pueri
& juvenes, à prima ætate literas legere, scholas fre-
quentare, Doctrina intendere, Magistris audientiam
præbere, non vagari per plateas, (Arrigite aures omnes
nocturnæ temulentia Stentorea mancipia, Vos publi-
cæ tranquillitatis turbatores μαχαίραλοι, Vos num-
morum egeni, nummorum tamen prodigi, tollite bar-
barum*

barum morem, *nec vanis lusibus occupari*. Persuasum
 sibi habeant quivis rectè sentientes, optima ingenia in
 prima statim ætatis linea se prodere, & doctrina vir-
 tuteque, quæ in aliis annos consequi solent, ætatem et-
 iam prævertere. Non immeritò quis annos pariter &
 fidem desideret, quum ex cantu Cygni Dircaei ἀθύρμα- Pind. Nem
 σιν annumerari percipit, quod Achilles ille πολίποροθ, Od. V.
 puer etiamnum sexennis, sine armis, sine fuste ac cani-
 bus, nudâ manu leones aprosque straverit in venatio-
 ne, cum disciplinæ ac curæ admotus esset prudentissi-
 mi Chironis. At cave, errorem erres, non sine splene
 memorandum, qui tamen plerisque imposuit Pinda-
 ricis interpretibus, nobis persuadere cupientibus, Achil-
 lem puerum sexennem veros leones & apros pugna
 confecisse, & grandia ipsorum corpora infantilibus hu-
 meris imposita ad Chironem deportasse: Neque enim
 Pindarum eo haberi velim loco, quo Dominicus Tri-
 visanus in senatu Veneto libero ore Pontifices, *quorum*
proprium esse dixit, posthabere fidem. Sed mens Poëtæ
 hæc fuit: Achillem adhuc puerum sexennem jaculis
 delectatum fuisse, & leones aprosque sibi finxisse, eos-
 que σκισμαχία confecisse, & postea ipsorum corpora gra-
 vi cum anhelitu affectato humeris suis ad Chironem
 deportasse, atque sic ἀθύρμασιν hisce generosioris indolis
 suæ fecisse indicia. Valet quippe hîc illud Politicorum:
Puerorum Lusibus sæpè maximi momenti negotia præ-
significari. Achillis vestigia prima pari nixu circa infan-
 tiæ limina expressit Romanorum Imperatorum *verus*
 Achil-

Achilles invictissimus Carolus V. Quanto ardore à parvulo dederit operam jaculis, colloquium illud Anno supra millesimum, quingentesimum, quadragesimo primo, cum Pictore ingeniosissimo, Luca Granachio, in castris extra Leucoream habitum, luculenter testatur. Forte historiolum patrio sermone conditam à Sleidano continuato audire, nullius non provocabit salivam. Sic verò ille: Als aus der Stadt Witteberg der alte Lucas Mahler in des Kaisers Zelt gefodert wurde/ und Kaiser Carolus V. ihm anzeigete/ wie ihm der Churfürst von Sachsen Johann Friedrich auf dem Reichstag zu Speier eine schöne Taffel / so er Lucas gemahlet/ geschenecket/ die er oft mit Lust und Wohlgefallen angesehen/ und von seinen Gemählden viel gehalten hätte. Es ist aber zu Mecheln in meinem Gemach/ sagte der Kaiser/ eine Taffel/ auf welcher du mich/ als ich noch jung war/ abgemahlet hast/ begehre derowegen zu wissen/ wie alt ich damahl gewesen sey? darauff der alte Lucas geantwortet: E. Majestät war damahls 8. Jahr alt/ als Kaiser Maximilianus Euch bey der rechten Hand geführet/ und ließ E. Majestät in Niederland huldigen. Indem ich aber anfieng E. Majestät abzureißen/ hat E. Majestät sich stetig an mancherley Orth/ wie denn der Kinder Art ist/ gewendet. Worauf euer Præceptor, welchem Eure Natur wohl bekand/ vermeldet/ daß E. Majestät ein sonderlich Gefallen zu schönen Pfeilen trüge / und darauff befohlen/ daß man einen kunstreichen gemachten Pfeil an die Wand gegen über stecken sollte/ davon E. Majestät die Augen nie mahls

Adrianus,
Cocceius,
raj. postea
antitex cre-
us.

mahls gewendet/ und ist desto besser das Contrafeit zum
Ende gebracht/ ic. Quibus impensè delectatus Carolus.
Possem huic addere Alexandrum M. cuius pueritia quo-
que nobis non ἀνεμοφόρητος putanda: Factus ille vix an-
norum duodecim rebus bellicis admodum delectatus
est, excelsæque indolis manifestissima proferre cepit in-
dicia. Cumque ex æqualibus, nonnulli ex eo percun-
ctarentur, ad Olympicum nunquid stadium libens de-
certaret? (plurimum enim pedum celeritate pollebat)
Libens equidem, inquit, si decertaturos mecum reges
sim habiturus. Possem de Cyro, Themistocle, Pompe-
jo, (qui vix dum puber, nomen Magni ac triumphum et-
iam est consecutus.) J. Cæsare, Scipionibus, Othonibus,
aliorumque Regum ac Principum sublimioribus æta-
tis initiis ampliora pensa accurare: Sed à Sago ad To-
gam, & mansuetioris coeli Atlantes via est adornanda:
ne Spartæ nostræ, ac commodis *μυσοπύων* minus pro-
fuisse videar. At, ò Deum immortalem! quantum di-
vinioris indolis surgentis ultrà ætatem prospicio agmen!
Certè haut opis est nostræ, diffusam eorum laudem
oratione ullâ æquare, ita ut, quod de cunctis homini-
bus Maro super divinâ suâ Æneide dicebat: *Nemo ad
hoc opus aggredietur, qui non laborare mentis vitio
existimetur*; id de me quidem, ac mei similibus in com-
memoratione eorum, quorum absolutum ingenium
suis velocius annis surrexerit, asseverare possim. Inte-
rim, ne naulum videamur perdidisse, nobis desultori-
um per ea tantum in modum decurrere animus est,
quo-

quomodo, ut ait togatorum doctissimus,

levis

Tipulla Lymβων frigidus transit lacus.

De Pindaro, Platone, Virgilio, Xenophonte, Plinio juniore, aliisque nonnullis eruditis, admiranda quaedam praesagia futurae praestantiae commemorant historiae veterum Ethnicorum: inter coetera *de musta Ciceronis aetate*, quod puer adhuc Romae fuerit, omnibus admirationi, Plutarchus prodidit memoriae. Eum namque pueri Scholastici, ac patritiorum filii, pauperem, plerumque medium, honoris gratia, per viam ducebant: multique Romanorum ad ludum proficiscebantur, ad visendum eum Ciceronem, de quo tam multa ex filiis suis audierant. Illud propius nostra ferit secula, quod de *D. Athanasio* Ecclesiastici referunt Annales, hunc nempè à teneris statim unguiculis, dum inter aequales suos puer lusitaret, Ecclesiasticis officiis praecipue fungi, delectatum, eaque ex re Alexandrinae sedis Episcopum, ducta conjectura, fore aliquando hunc insignem Christiani gregis pastorem, dedisse operam, ut à puero statim *ὑποτυπώσει τῶν ὑγιαίνοντων λόγων* imbueretur. Nec silentio hic involvam *Prodigium illud omnigenae Eruditionis Guillelmum Canterum* πολύγλωττον, *Frisiae Decus*; Hic, quo studio futurus esset, statim à nativitate sua, praesagione nequaquam ambiguo, declaravit: utpote qui, dum infans adhuc in sinu nutricis haereret, nullà re magis delectatus est, quam libris; & si quando in vagitum solutus esset, nullo solatio citius, quam libri alicujus oblatio.

tione placari potuit; librosque dum contrectare atque
vo vere concederetur, facile omnis incommodi atque
molestiæ oblitus est. Quàm porro docile atque capax
præ se tulerit ingenium *Fulgentissimum illud Antuer-*
piæ jubar Helias Putschius, vel inde indicium capit
Melchior Adamus, quòd nondum bimutus precatio-
nem Dominicam sine hesitatione memoriter recitare;
sive, ut Græcorum utar verbo, ἀποτομαλίζειν potuerit. Æ-
tatem quoque ipsam virtute ingenique ἀκρίβεια anteivit
Origenes, Parentem subtilibus exercens quæstionibus,
& anno ætatis octavo decimo Rectorem agens Scholæ
Alexandrinæ celeberrimæ. Pariter *meliorum litera-*
rum per Germaniam Restaurator & Vindex, utinam
tantus per omnem vitam ὀρθοδοξίας! *Philippus Melanch-*
thon, *stricturas felicioris ingeni mature emisit.* Infi-
gnem Heidelbergæ agit Academicum anno statim æta-
tis duodecimo: Decimo septimo supremam Philoso-
phiæ lauream Summâ cum laude obtinuit: anno post
vicesimo primo literas Wittebergæ cum omnium stu-
pore profitetur. Luthero Megalandro nostro, exce-
ptâ controversiâ Sacramentariâ, fidelis Parastates, cum
in aliis laboribus, tum & in sacrorum Bibliorum Me-
taphrasi, quæ Herculeo sanè labore aliquot annorum
est perfecta. Nostrâ quoque memoriâ antevertit æ-
vum *Decus illud Germania & columen nutantium li-*
terarum CASPAR BARTHIUS, qui (quod penè stu-
pendum est,) anno decimo quarto exactum suum su-
per isto, quâ latinitatem purissimo, quâ res plerasque
B
spur-

spurcissimo, Petronii Arbitri scripto, exposuit iudicium.
Quam profundum Liugvarum abstrusiorisque cog-
nitionis Thesaurum in angusta ætatula ostenderit *celeber-*
rimi Philologi sacri JOHANNIS DRUSII non degener
Filius, (dummodò sinceris laudibus, ac non largius in-
dulserit ^{ἡμετέροις}) ipse *Parens Lectori his intimat verbis* :
„ Filium amisi, scribit in Commentar. Nov. Test. qui an-
„ no quinto ætatis cœpit cum Latinis discere literas He-
„ braicas: quibus postea Græcas, Chaldaicas & Syras
„ adjecit: anno septimo interpretabatur optimè Davi-
„ dem in sua lingua, sic adeò, ut Judæus quidam, qui tùm
„ Leidæ Arabicam profitebatur, cum admiratione illum
„ audiverit: Biennio post legebat Hebræa sine punctis,
„ vocalibus, & quod ipsi Rabbini, doctissimique Ju-
„ dæorum hodiè ignorant, rationem callebat ex arte
„ Grammatica, qua singulæ voces rectè punctari debe-
„ rent. In lingua Latina, quam usu magis, quam ex
„ præceptis Grammaticis didicerat, tam promptus &
„ expeditus erat, quam in vernacula. Anglicè garrie-
„ bat cum Anglis, ita ut bene ipsum intelligerent. Anno
„ duodecimo scribebat ex tempore, tam prosa, quam
„ carmine Rhythmico, ut mos est Hebræis. Hæc pater
de filio; De quibus, si forte prudens Lector illud Epi-
charmī, ^{ἡνθε, ἡ μέρμηρο ἀπὸ τῆς εἰς} pronuntiaverit, illi li-
tem de competentia fori haut fecero. Unum adhuc
in fastigio veneror & stupefco *Eruditi ac sine pari He-*
rois exemplum, Eduardum nempe VI. Angliæ vel ho-
dieq; studiis illustrioris, Regem, reputans, volvensque
me-

mecum, eum ante annum ætatis sextum decimum exactè locutum Gallicè, commodè etiam Italicè, Hispanicè atque adeò Græcè: Romano autem Sermone sæpiùs bene longas habuisse orationes, tam purè & eleganter, etiam promptè adeo, ut utroque hoc illos quoque, qui temporibus inter doctissimos referrentur, non provocaret modò, sed vinceret. Quod si verborum tantum delectus, sed in omni sermone rerum pondus attenderetur: non suæ dico ætatulæ, sed tantula in ætate, humani penè ingenii fastigium excessisse videbatur: Præsertim animo suo reputantibus cum lingvarum cognitione conjunctam in artibus liberalibus & divinarum humanarumq; rerum scientiis subtilitatem. Quam, cum Hieronymus Cardanus, homo Italus, totius naturæ intelligentissimus, atque idem πολιτικός, è pluribus liquido perspexisset, pro naturæ eum miraculo habuit semper, eoque elogio non privatim modò, sed publicis etiam scriptis decoravit. Qui cum talis tantusque esset, concludit ὁ πάνυ Vosius, verè Angliæ, vel orbis potius delictum, creptus est terris anno imperii sexto, ætatis decimo septimo: atque ut meliorem sui partem cœlo reddidit, ita præter corpusculum, terris debitum, & tristissimam sui memoriam, Commentarios reliquit gravissima quæque negotia, quæ imperante se obvenerant, continentes ac manu sua non ad publicandum quidem, sed proprium in usum, in tantula ætate signatos prudentissimè. Nolo campos decurrere latiores: metuo enim, ne longior æquo videar, si quodcunq; excelsioris sanguinis à diviniore ingenio commendatur,

azar. Paneg.
mmach.
. Epist. 46.

intrà angustos unius schedulæ Cancellos complective-
lim. Ac magis etiam, si in Germaniæ nostræ, Saxoniam
præcipuam, fulgentissimis Gemmulis idem tentavero. Vel
si denique calamo permitterem, *intrà sacratoris tan-
tum Cathedræ hujus ambitum de Equestri ordine Florem
illibatum Generosæ Stirpis delibare, ac celsioris Indolis
sidera vel tempus ortu antevertentia, suspicere ac demi-
mirari.* Equidem, si ex ungue leonem, æque radiis acces-
sum solis æstimamus: quid prohibet, quo minus alta
virtus & fervor honesti, & quid non excellens? in pri-
mis vitæ Tirociniis effulsisse credam? *Florem totius Or-
bis & partem meliorem generis humani, non ignobilis
in literis Famæ scriptor laudat Senatum Romanum.*
Florem non tantum Nobilitatis, præfiscini, aut te Ca-
lumniam! sed, quod maxima illorum merita postulant,
*florentissima quoque Ruræ Saxonica Eminentiorum sena-
tum esse haberi quoque tam Venerabile Procerum nostrorum
Collegium, nemo, nisi imbecillioris sensus, addubitabit.*
Florent illi maximè omnium, & Infulæ Venerationem
purpuræ splendentis repercussione geminant, red-
duntque planè illustrem, quocunque hæc Illustris-
sima Saxoniam Propago radices germinaque diffun-
dit. Florent *in hoc duodenario Collegio Sacro, qui
perpetuò curas populi cum Augusto suo dividunt,
Tiberii; Florent, qui inclitam religionem, cultum-
que Dei sinceriores propagant defenduntque, Numæ
Pompilii; Florent consummati iudicii ac prudentiæ lau-
de, rostra quæ sacra, qua forensia, undique conspicui Ca-
tones; Florent consiliis pensiculatoribus Menenii A-
grip-*

grippa; Florent virtute & Honoribus *Scipiada*: justitiã
Fabricii: integritate ac constantia *Attilii Reguli*: Libe-
 ralitate *Luculli*, &c. Nec dubito, si vetus ille *Cyneas* Le-
 gatus *Pyrrhi* regis, vir alias nec mentis, nec oris egens, re-
 deat, & hunc splendidissimum Senatum contempletur,
 animum ipsi & verba defutura ad inducendam compa-
 rationem. Sed quid soli lumen foeneror, laudesque eo-
 rum attingo, qui dudum coelum perambulaverunt, ca-
 put inter astra condiderunt, atq; quicquid vulgare ac foë-
 num est, ab ambrosia segregaverunt. Pro me loquan-
 tur, cum *Serenissimi Saxonie Duces*, *Diva Heroum Progenies*: tum alia ibi-
 lustrissimorum Principum inclita *Domus*: *Deus bone!* quantã curã ac pro-
 pensiori voto vultuque ex Hoc sacratoris Senatus Flore expetierunt arctius-
 que sibi devinxerunt venerabilioris fastigii sui *Genios* & *justitiæ Antistites*?
 „ Sive enim *Supremum Tribunal JENA-Saxonicum Directorem ac Patro-*
 „ *num causarum*, nec non *illustris ingeniorum Nutrix Porta Inspectorum pri-*
 „ *marium desideret*; sive *Clementissimus Patriæ Pater Cixæ prudentiæ & fi-*
 „ *delitatis pleniora meditetur Consilia*, vel *Aula Electoralis Saxonica à mi-*
 „ *nore judice*, ad *superiorem*, tanquam *innocentiæ asylum* jubeat *provocare*;
 „ Sive *per venerandã Canitie conspicuum caput vicariã prudentiã* se petat *gu-*
 „ *bernari Archiepiscopatus Magdeburgensis*, pariterq; *Nostra Numburgensis*; Si-
 „ *ve Principi, charissimæ Patriæ laribusq; privatis jus suum antiquã & lauda-*
 „ *tã Maiorum consuetudine asserendum*; Sive *Dicasterium Ecclesiasticum Saxo-*
 „ *Altenburgicum supremi Præsidis operam*, vel *Aula ibidem Consiliarium* in I-
 „ *dea integerrimum imploret*. Sive *illustre Quedleum aulæ morumq; Magistrum*,
 „ vel etiam *Nostrum Virtutis ac artium Seminarium Ephorum* expectet dignis-
 „ *simum*: Sive *igneus ille utriusq; virtutis Genius Pyropi ad instar rutilans na-*
 „ *tivo propemodum lumine consecrandus*: Sive *Camera Saxo-Magdeburgica*
 „ *ad Augusteam felicitatem consiliis attollenda*: Sive è *vultu spirans gravitas*
 „ *avitorum honorum splendorem brevi explicatura*: Sive *sacræ Parthenopes*
 „ *sertum sub Palladis Clypeo florentissimum novo insigni adornandum*: Sive
 „ *deniq; Martius, ille Saxo, (at Christianus, convenientiùs debebam dicere)*
 „ *sacrario suo inducens Consiliarium, Hephæstionem cum Cratero confundere ge-*

gestiat; Omnes & singuli Hi adsunt illustri ingenio, omnes profertur felici imperio,
Omnes praesunt aruito ad haec nati fastigio, dubium hinc relinquentes, utrum ge-
nerosi stemmatis amplitudine, an celsissima mente, variaq; doctrina sint eminen-
tiores. Sed non insistam, *Mecænates Summi*, vestris lau-
dibus, (ubi nihil auribus dari, nulli melius sciunt, quam in-
terioris admissionis homines, & Vestro alloquio digni)
quibus solidè edendis longè spatiosiores paginae opus es-
sent, nec Rhetoricæ meæ sufficeret angustia. Omnis ve-
rò hæc eò spectat Oratio, *Indulgentissimi Patroni*, par-
tim, ut gratisimæ mentis meæ ac submissioris devotio-
nis publicum aliquod extet Symbolum; partim, ut quæ-
vis candida pectora, præcipue verò juventutis nostræ se-
minarium *Vestrâ munificentia* melioris doctrinæ succo
quotidiè rigandum, imbuendum, expressissima ac *γνησιώ-
τα* Virtutis & Gloriae habeat vestigia, quæ sibi ad admi-
rationem, vel imitationem, in cerea illicò ætate propo-
nat. *Egregia enim Virtutis exempla, veluti lumen in-
edito ponenda sunt, ut omnibus præluceant, multosque
ad sui emulationem accendant, monet Germania Ci-
cero, Erasmus.* Atque ad hæc ipsissima ac clarissima
exempla non obiter ac oculo perfunctorio respexisse,
sed alacriter ac *χερσαίντε ποσίντε* incubuisse, testamur Inge-
nuos hosce duos, non profapia tantum ac laudatissimæ
Familia, verum *Φιλομαθείας* quoque lingvarum ac artium
nomine Commendabiles Juvenes; Quorum alter *A-
DAMUS-HENRICUS* à *Friesen/ Numburg*. Eques
*Thur. Patre Maximè Reverendo, Nobilissimo ac Præ-
strenuo editus, DN. CAROLO* à *Friesen/ Hereditario
in Roschitz. Cathed. Eccles. Numb. Custode Canonico at-
que Saxonico Hagio-συμβέλω* &c. Hic, cum ex insita penè
Frisiæ

Frifia Genti rariffima Indole, juxta vota ac fpeſ fuorum non obſcura melioris ingenii ac doctri- nae afferret indi- cia, nihil prius habuit, quam ut dotes hujusmodi matu- re excolerentur praecipue ab ante laudatis exemplis fu- ſcitatus, ad ſplendidiffima munerum, aliquando, non te- mere alios, quam ſplendidiffimum quemq; admoveri convenire. Magna ſiquidem Nobilitatis vis eſt, inquit „ A. Buchnerus, eaq; ubi accedit virtutum ſplendor, ut „ facile quosvis obumbrat alios, ita etiam iisdem plus „ pollet. Quis aurea gemmeaq; vaſa fictilibus æreisq; „ non praeferat? Nam utraq; licet inſerviant uſibus, in „ illis tamen plus auctoritatis ac pretii eſt. Proinde col- „ latis acriter ingenii ac dignitatis dotibus, nobilior qua- ſi factus hic optimus Adoleſcens perluftratis Diſciplinis, ut vocant trivialibus, deguſtatis quoque Ethicis, Politi- cis ac Theoreticis Praeceptis, non inſuper habitâ pietate ac morum Elegantiâ, ſubinde nihil magis in votis habet, quam ut Conſilio ac Pace Generoſorum Dn. Parentum atque prudentiſſimorum Agnatorum, Academicis ſtu- diis totus perfruatur ſolideq; perficiatur, atque ſic voti compos redditus, univerſam demum ætatem apud illos exigat, ubi favore Principum regnant bonæ literæ, ea- rundemq; cultores ad ſumma quæque provehuntur. Quem in finem publicâ Oratione *de Favore Principum erga Viros doctos*, argumento ſanè lectiſſimo ac digniſ- ſimo, *dicet ultimum Scholæ noſtræ VALE*. Alter unâ a- biturus PHILIPPUS *Kohr* Marckranſtadienſis Miſni- cus ſalutatur. Hic integro exacto ſub noſtra Diſciplina quadriennio, Celeberrimam Lipſienſem profecturus eſt;

In Orat. Fun
Illustr. Ba
ron. Hen.
Griefen.

est; suum verò ἐπιβάνου Valedictorium adjiciet μέρϞ per
 Antithesin prioris argumenti in proscenium allatam;
 Audiendus nempe è Cathedra, *de Odio quorundam
 Principum ac Regum in literatorum ordinem ἀπορίδω.*
 „Quamdiu hic Noster scholæ & Hospitio vixit, ita mo-
 „destè, piè & industriè ac laudabiliter se gessit, ut mihi
 „affectum sui perennem reliquerit, Bonis omnibus bo-
 „nam famam, ac suis sympalestritis exemplum. Horum
 itaque egregiæ indolis ac spei Adolescentum sine-
 ris conatibus, ut *Eminentissimi Nostri Mecænates, Pa-
 troni, Fautores & Amici* faveant, atq; exigui temporis
*usuram crastina, σὺν θεῶ, luce, illis tribuere, & quos pul-
 cherrimo amulationis exemplo ab imis ad summa con-
 nitentes vident, tacito quodam applausu juvare velint,
 submissè ac decenter rogamus. Agnoscent id Adole-
 scentes μεσοπατάκτοι in maximi beneficii loco: & nos vi-
 cissim daturi sumus operam sedulò, ut hanc exhibitam
 nobis benevolentiam pari inserviendi promptitudine,
 officiis, studiis, amore redhostiamus.*

*Hoc ad summa Duces Vos Virtus ire jubebat,
 Hoc eadem juvenes nunc jubet ire gradu.*

Ergò Ordo placeat vestigia Vestra prementum:

Idem namq; alacres ad juga vestra feret.

*Sic Pallanta Pater, sic parvum vidit fulum
 Tros Anchisiades castra paterna sequi.*

P. P. Numburgi IV. Kal. Maji. Anno Æræ Chr.
 M. DC. LXXI.



01 A 6574

ULB Halle

3


003 090 566



R. V D 17







Ultimum Pietatis scholastica Mnemosynon
relinquent Scholæ Cathedrali,
Quà Stemma, quà meliores literas
artesque egregiè ornati duo Adolescentes,
ADAMUS HENRICUS à Friesen/
&
PHILIPPUS Kühr/
Quorum Conatus candidos ut Præsentia sua
condecorent suscitantque
Maximè Reverendi Proceres,
Fautores atque Amici,
Eâ, quâ decet mente vultuque,
rogat singulos,
M. FRIDERICUS Berger/
Scholæ Cathedr. Numburg.
RECTOR.

JENÆ,
Literis Bauhoferianis.

